MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80599-16

AUTHOR:

KOCHII, HERMANNI A.

TITLE:

EMENDATIONES PLAUTINAE

PLACE:

NUMBURGI

DATE:

1872

Master Negative #

92-80599-16

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books       FUL/BIB   NYCG92-B31856          Acquisitions     NYCG-PT
Record 1 of 0 - Record added today
+
  ID:NYCG92-B31856           RTYP:a    ST:p    FRN:   MS:   EL:      AD:05-06-92
  CC:9668  BLT:am     DCF:?    CSC:?   MOD:     SNR:       ATC:      UD:05-06-92
  CP:gw      L:ger    INT:?    GPC:?   BIO:?    FIC:?      CON:???
  PC:s       PD:1872/          REP:?   CPI:?    FSI:?      ILC:????   II:?
  MMD:       OR:     POL:     DM:     RR:       COL:       EML:      GEN:   BSE:
  040      NNC=|cNNC
  100 1    Kochii, Hermanni Adolfi.
  245 10   Emendationes Plautinae=|h[microform].
  260      Numburgi,=|bTypis Henrici Sieling,=|c1872.
  300      xviii p.
  LDG      ORIG
  QD       05-06-92
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6-9-92 INITIALS m.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

VIRO ILLVSTRISSIMO

GODOFREDO BERNHARDYO

DECEM LVSTRA

INDE A SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS

A. D. III. KAL. NOV. ANNI CIↃIↃCCCXXII

RITE IMPETRATIS

GLORIOSE ET FELICITER TRANSACTA

EX ANIMI SENTENTIA

CONGRATVLANTVR

RECTOR ET PRAECEPTORES SCHOLAE PORTENSIS.

INSVNT

HERMANNI ADOLFI KOCHII

EMENDATIONES PLAVTINAE.

NVMBVRGI
TYPIS HENRICI SIELING.
1872.

Laetissimo die, DOCTOR PRAECLARISSIME, quem animo et corpore integer ut celebrares, dei beneficio tibi contigisse, quicumque litteras nostras studio et voluntate amplectuntur, vehementer gaudent, ne Portam quidem gratulantium cohorti deesse voluisse, nemo mirabitur, qui quantum nos potissimum tibi debeamus, grata memoria recolet.

Egregia enim tua in humanitatem Graecis Latinisque litteris promovendam merita, quamquam angustis quibusdam temporum locorumve terminis circumscribere ea nefas est, ad nos Portenses praeter ceteros redundarunt, quorum antiquitus in his litteris retinendis tuendisque omnis paene vis ac momentum constiterit. Neque vero solum ex inexhausta doctrinae tuae copia libris ingentis scientiae subtilissimique judicii plenis comprobata fructus percepimus uberrimos, sed etiam suavissimo aestivi secessus commercio per aliquot annos sermonibus tuis modo mitem sapientiam praeceptoris peritissimi modo facetias leporesque acerrimi rerum hominumque existimatoris redolentibus comiter nos impertivisti.

Quid quod haud pauci in alma matre Fridericiana a te litterarum sacris initiati te, ut fas est, quasi quendam studiorum nostrorum parentem colimus ac veneramur. In quorum numero eo lubentius meum quoque nomen profiteor, quo magis hoc qualicumque opusculo gratum animum testandi facultatem mihi datam esse laetor. Nimirum ex quo abhinc plus viginti annos scholis tuis praeclaris, quibus Graecarum litterarum historiam enarrabas, singulari antiquitatis adcuratius perspiciendae ardore excitatus sum, studia mea cum numquam non propenso animo prosecutus es tum luculentissimo exemplo tuo regere et corrigere non desiisti.

En munusculum aliquod tibi offero ad hujus diei celebritatem pro virili parte augendam emendationum Plautinarum, te laudibusque tuis non dignum illud quidem, at ita tamen comparatum, ut, si quid inde bonae frugis ad poetam tam praestantem quam difficilem redundare intellexeris, ne tibi quidem prorsus injucundum fore sperare liceat.

Emendationes Plautinae.

---

aul. prol. 10 sqq.

numquam indicare id filio voluit suo
inopémque optavit potius eum relinquere,
quam eúm thensaurum commonstraret filio.
agri reliquit ei non magnum modum.

Moleste iteratum *filio*, totius sententiae vanitas, qua id quod v. 10 jam dictum est, denuo inculcatur, denique *eum thensaurum* pro voce *id* v. 10 inepte positum clamant versum 12 pro insiticio eiciendum esse, id quod cum intellexisse mihi viderer, in eadem sententia fuisse Guyetum cognovi.

aul. II 8, 24 sqq.

Apóllo quaeso subveni mi atque adjuva,
quoi in re tali jam subvenisti antidhac,
confige sagitis fures thensaurarios.

Quoi ad Euclionem, cui deum jam subvenisse in re simili prorsus incredibile est, referri non posse, cum Wagnerus tum Kiesslingius n. mus. Rh. 23 p. 214 intellexerant. Quod autem hic satis habet *quoi* in *quia* mutasse, et languidum est *quia* in ejusmodi dei invocatione et dativus ad *subvenisti* relatus desideratur. B cum habeat *in re talia subvenit*, scribendum erit: ***qui** in ré tali [**aliis**] jam subvenisti antidhac*; cf. *Epid.* I 1,88 *tú qui antehac aliis solebas dare consilia mutua.*

aul. III 5, 1 sqq.

narrávi amicis multis consilium meum
de cóndicione hac: Euclionis filiam
laudánt: sapienter factum et consilio bono.

Ita scripta et interpuncta haec inveniuntur apud Pareum, Guyetum, Gronovium, Wagnerum. Unus Bothius cum vidisset, *Euclionis filiam* male ad *laudant* referri, pejus etiam divelli a verbis *de condicione hac*, scripsit: *narrávi amicis multis consilium meum | de cóndicione hac Euclionis filiae. | laudánt; sapienter factum et consilio bono.* Equidem non genetivum potius *filiae* requiri quam ablativum, ut nos quoque voce ‚Partie' ipsam virginem in matrimonium ducendam significamus, et artius etiam *laudant* cum iis quae sequuntur jungendum esse censeo, ita ut scribendum sit:

narrávi amicis multis consilium meum
de cóndicione hac, Euclionis ***filia.***
laudánt sapienter factum et consilio bono.

capt. I 2, 1 sqq.

advórte animum huc sis: istos captivos duos
heri quos emi de praeda a quaestoribus,
his indito catenas singularias,
istás majores, quibus sunt vincti, demito.

Non vereor ne contra dicatur, si *his* versu tertio ut in ***has*** mutetur proposuero. Ipsi captivi iterum idque versus initio ut admodum male pronomine *his* significantur, ita majoribus vinclis alteras singularias eodem pronomine commodissime opponi, facile concedes. Neque dativum potius pro *istos captivos duos* requiret qui quam amans sit Plautus attractionis figurae recordabitur.

capt. I 2, 23 sq.

ego ibo ad fratrem ad alios captivos meos
visám ne nocte hac quipiam turbaverint.

Hi versus mutata interpunctione ita scribendi sunt:

ego ibo, ad fratrem ad alios captivos meos
visám ne nocte hac quipiam turbaverint.

Cf. *trin.* 995 *ibo, ad illum renuntiabo, qui mihi tris nummos dedit*, qualem hunc versum constituit suadente Fleckeiseno Ritschelius in editione altera. Constructio vocis *visam* ne offendat, vide *capt.* II 3, 98 *ád fratrem modo ad captivos alios invisam meos.*

capt. II 2, 13 *sécede huc: nam sunt quae ex te solo scitari volo.*

Cum Fleckeiseno *ego* post *quae* inseruit Brixius. Ut scribamus potius: *sécede* **[*ad me*]** *huc: nam sunt quae ex te solo scitari volo,* suadent hi loci: II 2, 110 *vin vocem huc ad te*; *aul.* IV 10, 16 *cum istacin oratione huc ad me adire ausum impudens* et II 2, 26 *jam huc ad te revortar,* ubi *huc* probabiliter insertum est; *Men.* 432 *eho, Messenio, ad me accede huc*; *merc.* 555 *intérea tamen huc ad me intervisam domum.*

capt. II 3, 89 *séquere me viaticum ut dem a tarpessita tibi.*

Hiatus ut tollatur, *dem* in ***duim*** mutandum est. Eadem forma restituenda esse videtur II 2, 103 sq. **HE.** *núm quae causast quin si ille huc non redeat, viginti minas | mihi* ***duis*** *pro illo?* **TY.** *optuma immo.* **HE.** *solvite istum nunc iam*; neque improbabile est *Bacch.* 218 *quod amés paratumst, quod des inventost opus* rasura vocis *des* idem *duis* indicari, versu ita conformato: *quod amés paratumst, quod* ***duis*** *invento opust* ad exemplum versus 398, ubi Ritschelius ipse contra libros posuit *obvigilato opust*, *merc.* 330 et 334 Acidalium non secutus, qui vocibus *nunc* et *sed* retentis priore scripsit: *video: hic opperiar hominem, hoc nunc mihi viso opust*, altero *nam ei dóno advexe audivi: sed praecauto opust.*

Curc. II 3, 38 sq. **CU.** *périi, prospicio parum,*
ós amarum habeo dentes plenos lippiunt fauces fame.

Alterius versus corruptelam ita tollere sibi visus est Guyetus ut scriberet: *ós amarum, dentes haerent, lippiunt fauces fame,* cujus vestigiis ita institit Fleckeisenus, ut ipse quoque vocem *habeo* eiceret, reliqua cruce ad vocem *plenos* adposita ita constitueret: *ós amarumst, dentes plenos, lippiunt fauces fame.* Sed nec *habeo* quomodo in textum inrepserit dici potest, et qui via et ratione utetur genetivum potius quaeret e voce *plenos* pendentem quam ut in hac emendanda scilicet et vel adjectivo vel verbo mutanda frustra laboret. Ita ut hactenus prudentius egerit Bothius qui scripsit: *ósmarum habeo dentes plenos, lippiunt fauces fame*, nisi quod *osmas* e sermone Graeco translatas vix cuiquam probabit. Ut verum inveniatur, animus adiciendus est ad vocem *lippiunt*, quae non potest non magnae esse offensioni. Pertinere eam ad vitiosos oculos nemo nescit; lexica autem nostra quod non modo significationem, ‚triefäugig sein', sed etiam ‚lechzen' praebent ejusque unum hunc locum Plautinum proferunt, vellem explicassent, quomodo mira ejusmodi ab oculis ad fauces translatio excusari posset. Nimirum non sermonis consuetudini haec translatio debetur, sed Plauto ipsi facetiarum et scurrilitatis pleno, qui cum jam proximo versu parasitum siticulosum et famelicum *prospicio parum* dicentem fecerit, pergat ori et faucibus adhibere quae propria significatione solis oculis conveniant. In hanc societatem si *dentes* quoque adsciverimus, sua sponte genetivus prodibit, quem vox *plenos* desiderat et Plautum scripsisse efficietur: ***lácrumarum*** *habeo dentes plenos, lippiunt fauces fame.* Corruptelam vel potius pravum laceri versus initii supplemen-

tum ne miremur, cavetur cum aliis locis similiter corruptis tum trinummi versibus 947 et 948, Ribbeckii et Buggei virtute recuperatis.

Epid. II 2, 97 sqq.

EP. *jám igitur amota ei fuerit omnis consultatio*
núptiarum, ne gravetur, quod velis. **AP.** *vive sapis et placet.*
EP. *tum tu igitur calide quicquid acturus age.*

Hic *et placet* ab extremo versu 98 ad primum 99 ablegandum esse quivis videt. Dubitatur de voce *vive*, quam etsi fuerunt qui servarent, rectissime et Guyetus rejecit et Geppertus, ut tamen verum non sint adsecuti. Scribendum est certa ut opinor emendatione: *né gravetur quod velis* ***velle.*** **AP.** ***et*** *sapis | ét placet* etc.

Epid. III 4, 17 sq.

pol egó magis unum quaero meas quoi praedicem,
quam illúm qui memoret suas mihi.

Admodum invenustum *unum*, praesertim cum sequatur *quam illum*, mutandum est in ***illum.***

Bacch. 1049 sq.

quin égo, istic quod perdundumst, properem perdere?
binós ducentos Philippos jam intus ecferam.

Priore versu ubi codices habent *Quid ego* (C *ergo*) *istic quod perdundum est properem* (C *propere*) *perdere* Fleckeisenus (praef. ad Bacch. ed. Ritsch. p. XIII) formulam apud Plautum satis frequentem *quid istic!* (quam Germanice interpretari licet ‚was ist da zu machen?') agnoscens me quidem adsentientem habet, ut tamen quas proponit rationes loci constituendi: *quid istic? ego quod perdundumst properem perdere* vel *quid istic? quod est perdundum, properem perdere*, probare nequeam. Scribendum esse videtur: *quid istic?* [***ut***] *quod perdundumst, properem perdere, | binós ducentos Philippos jam intus ecferam.*

Most. 905 sq. **TH.** *numquam edepol ego me scio*
vidisse usquam abjectas aedis, nisi modo hasce.

Nisi me fallit non convenit vox *scio* nec nostrae nec Latinorum consuetudini in ejusmodi sententiis, quibus non certum aliquid a nobis factum vel adfirmamus vel negamus, sed vel non recordari nos vel non vidisse vel audivisse in universum profitemur. Quid verum sit ostendunt loci quales v. 270 *nón videor vidisse lenam callidiorem ullam alteram* et 820 *nón videor vidisse postes pulcriores*, quorum similitudinem ut hic ita exprimamus: *numquam edepol ego me* ***puto,*** etiam libri suadent, in quibus non est *scio*, sed *scito*, hoc est *puto*.

Most. 978 *non agio.*

Quod hic tale quale supra scripsi Ba D habent verbum *ajo*, agnoscenda est antiqua et genuina ejus forma, quam Corssenus (Voc. I² p. 90 et 306) conlata voce *adagium* indicavit, praesertim cum etiam proximo versu lectio codicis B *a . io* eodem ducat, quamquam haec quidem per se spectata etiam esse potest *aïo* (cf. Ritsch. ad *trin.* 428 et Vahlen. ad Cic. de legg. I, 13). Neque alienum est comparare formam secundum rectam originationem effictam *magiorem*, quam habet V Ter. *ad.* 47 pro voce *majorem*.

Most. 992 *míhi nisi ut erum metuam et curem nihil est qui tergum tegam.*

Cum hoc loco si contulerimus *Epid.* I 1, 64 *detegetur corium de tergo meo*, facile adparet, in utroque loco lusisse poetam similitudine litterarum, ita ut non *tergum* potius quam ***tegum*** commodiore sonorum conformatione pronuntiatum esse verisimile sit aeque ac *Pseud.* 198 ipsi libri Palatini *tegoribus* non *tergoribus* habent.

Most. 1047 *eáque eduxi omnem legionem, et maris et feminas.*

Ad tollendum hiatum scribendum esse: *eáque eduxi omnem legionem* ***qua*** *maris* ***qua*** *feminas* ostendit *glor.* 1392 *quem omnés oderunt qua viri qua feminae*, ad cujus loci similitudinem jam Fleckeisenus *Men.* 666 rectissime conjecit: *quá virum qua uxorem di vos perdant* pro eo quod libri habent *cum viro cum uxore di vos.*

Most. 1118 *cúm pedibus, manibus, cum digitis auribus, oculis, labris.*

Adhuc sub judice litem esse de extrema syllaba ablativorum et dativorum in —bus exeuntium vel brevi vel longa cum nuper Ritschelius significaverit (n. mus. Rh. 1870 p. 309), hic *auribus* vereor ne argumento longitudinis non magis esse possit quam loci a Ritschelio l. a. tractati, quoniam concinnitas orationis postulare videtur, ut ante *oculis* inseratur ***cum*** aeque ac positum est ante *pedibus* et *digitis*.

Most. 1165 *si hóc pudet fecisse sumptum, supplici habeo satis.*

Hiatum post *supplici* non *jam* potius, quod inseruit Ritschelius, sed ***mi*** tollendum esse, probat Ter. *ad.* 313 *satís mihi habeam supplici, dum illos ulciscar meo modo.*

Men. 236 sq.

Mare súperum omne Graeciamque exoticam
orásque Italicas omnes qua adgreditur mare
sumus circumvecti.

Hiatum post *superum* removit Ritschelius inserto *jam*; verum vidisse eum quem in adnotatione significat suasisse *superumque* docent hi loci: *merc.* 830, ubi ipse Ritschelius recepit *límen superumque inferúmque salve, simul autem vale* pro eo quod

libri habent *superum inferumque*; *trin.* 645 *tibi paterque avosque facilem fecit et planam viam*, ubi A habet PATERAVSQ', Palatini *paterque avosque*; *aul.* prol. 5 *patrique avoque jam hujus qui nunc hic habet*, ubi jam Acidalius *patrique* librorum lectioni *patri* substituit, secundum quae exempla etiam *aul.* II 2, 73 *impero auctorque sum ut tu me quoivis castrandum loces* sine dubio scribendum est: *imperoque auctorque sum ut me quoivis castrandum loces.* *)

Men. 384 **ME.** *nimis miror quid hoc est negoti.* **MES.** *oboluit marsuppium.*

Pro voce *oboluit* BaCD habent *obvotuit*, cum qua forma si comparamus *glor.* 41 *curámque adhibere ut praevolat mihi quod tu velis*, ubi BD *praevolat*, C *praevolet* habent, conicere licet, antiquum aliquod verbum ***volere*** exstitisse ad exemplum formarum *voxor, volciscor, voltumus*, quas nuper tractavi (Fleckeiseni ann. 1870 p. 283 sqq. et p. 685 sqq.). Jam primum tuetur ejusmodi verbum forma *vuoglio = oleum*, quam Schuchardtius protulit e sermone Neapolitano Kuhnii diar. 1871 p. 280. Quodsi mireris, hic litteras *vo* non in *u*, sed in *o* transiisse, adparet hoc *u* cum apud Italos in voce *ulira* et derivatis tum in sermone volgari, cujus exemplum adtulit idem Schuchardtius (Voc. des Vulgärl. 2 p. 134) *ulearium* ex ed. Diocl. X. 14 anni 301 p. Chr. *O* autem illud similiter pro littera *u* habes in Umbrica forma *subocau = subvoco* (Corssen Voc. I² p. 662), quoniam praeter *voco* Plautum forma *uco* usum esse l. a. verisimile reddidisse mihi videor, et fortasse in forma aliqua *olo* pro *volo* vel *ulo* (l. a. p. 685), siquidem codicis B lectioni *Pers.* 332 *dis,o lentibus* fidere licet. **) Atqui non abhorruisse ipsum Plautum a voce *volere*, praeter duos locos initio significatos, quorum posteriore scribendum esse videtur: *curámque adhibere ut praevolat mihi quod velis* abjecta vocum *mihi* et *tu* sono elatarum molestia potius quam elegantia, probant alii loci, quibus vel eadem forma vel vocibus derivatis hiatus tollitur. Sunt autem hi: *Men.* 167 *súmmam* ***volfactare*** *oportet vestimentum muliebre*, ubi Ritschelius cum Guyeto scribit *oportet olfactare*, Brixius cum Camerario *me olfactare oportet*; *Poen.* V 4, 66 *ita hánc canem faciam tibi* ***voleo*** *tranquilliorem*; *Pseud.* 221 *unctiusculo? sed scio tu* ***voleum*** *hau magni pendes: vino*, ubi Ritschelius post *scio* infert *ego*, quod cum Palatinis etiam Ambrosianus omittit, cum Usenerus progr. Gryph. 1866 p. 7 in alia omnia abeat; *Most.* 278 *quid olant nescias nisi id* *unum* ***ut male volere*** *intellegas*, ubi Ritschelius codicum scripturam *ni male*, quod est *ut male*, mutavit in *male ut*.

*) Idem, ut nunc video, conjecit censor collationum Aulululariae a Lorentio factarum in diariis Leutschianis 1872, p. 391, significans *tu* in B secunda manu supra scriptum in D prorsus omitti.

**) Etiam Aul. II 8, 1 D *olui* habere pro *volui*, nunc cum maxime ex collatione Lorentii didici.

Men. 670 *si tibi displiceo, patiundumst: placuero huic Erotio.*

Non fugit nec Ritschelium nec Fleckeisenum offensio quam creat horum enuntiatorum logico nexu conjunctorum discrepantia grammatica, ita ut hic coniceret: *tibi displiceo, patiundumst: at placuero huic Erotio*, ille: *si tibi displiceo, patiundumst, at placuero Erotio.* Faciliorem medellam versui adhibebimus scribendo: *si tibi displiceo, patiundumst, placuero huic* [*si*] *Erotio.* De ejusmodi conformatione, qua enuntiatum primarium duobus enuntiatis secundariis eadem particula astrictis circumscribitur, post Madvigium Fleckeisenus disputavit ann. 1871 p. 810. Prorsus eandem formam sermonis atque hic habes *Pseud.* 265 sqq. *nám si sacruficem summo Jovi* | *átque in manibus exta teneam ut poriciam, interea loci* | *si lucri quid detur, potius rem divinam deseram.*

Men. 876 *jamne isti abierunt quaeso ex conspectu meo?*

Quaeso quod Brixius Fleckeiseni ann. 1870 p. 776 recte observavit esse exhortantis (addere poterat etiam indignantis) hic non magis ferri potest quam in Poenuli loco a Brixio tractato. Inrepsisse videtur ex versu 880 *vosque ómnes quaeso si senex resciverit*, unde inlatum pepulit vocem genuinam, quam habitus Menaechmi fugam spectantis verisimile reddit fuisse ***plane.***

Men. 894 *quin sóspitabo plus sescentos in die.*

In hac gloriantis medici oratione libri habent *suspirabo*, in qua voce latere ***suscitabo,*** probare videtur Horatius *sat.* I, 1, 82 *habes qui* | *adsideat, fomenta paret, medicum roget ut te* | *suscitet ac natis reddat carisque propinquis*, qui poeta si recordabimur quam prope absit in satiris a sermonis cottidiani consuetudine, haud inepte coniciemus, ipsum suscitandi verbum ad salubrem prudentis medici industriam significandam a Romanis adhiberi solitam esse.

Men. 950 *hélleborum potabis faxo aliquos viginti dies.*

Hiatum removebimus post *faxo* inserendo ***hos:*** cf. *Most.* 238 *nam néque edes quicquam neque bibes apud me his decem diebus*, *Pseud.* 283 *át dabit parabit: aliquot hos dies manta modo*; 321 ut opperiare hos sex dies aliquos modo (cf. Gepperti Studd. Plaut. II p. 59).

Men. 987 sq. *núnc foris pultabo, adesse ut me sciat*
meúmque erum ex hoc saltu damni salvom ut educam foras.

Ex iis quae codices habent: *neque utrum* facilius quam *meumque erum* eliciemus ***meque et erum.***

Men. 1079 sq.

> **MEN. II** *tún meo patrés prognatus?* **MEN. I** *immo equidem, adulescens meo.*
> *túum tibi neque occupare neque praeripere postulo.*

Inseruit Ritschelius *ego* post *tibi*, Fleckeisenus *nam* ante *tuum*. Qui in mensura *tibi* acquiescere nolet, ei commodius etiam secundum ea quae nuperrime disputavi in Fleckeiseni ann. 1872 de postulandi verbo a Plauto cum accusativo c. inf. juncto scribere licebit: *tuúm* [**me**] *tibi neque occupare neque praeripere postulo.* Eodem fulcro adhibito sanabimus misere corruptum versum rudentis III 4, 4 *tun legirupionem hic nobiscum Dis facere postulas,* qui ita scribendus esse videtur: *tún* **legirupa una** *hic nobiscum dis* [**te**] *facere postulas?*

glor. 297 sq.

> *prímumdum, si falso insimulas Philocomasium, hoc perieris.*
> *iterum, si id est verum, custos additus tu ei perieris.*

Hic cum libri habeant *si id verumst* BCD, *tue custos additos* Ba, *tu ei custos additus* BbCD, scribendum esse videtur: *iterum* [**perieris**], *si id verumst, tu ei custos additus.* Quam facile *perieris* locum mutare potuerit, praesertim si oculus librarii ad extremum versum superiorem aberrabat, adparet; nec meo quidem sensu hac mutatione vel numerorum vel orationis elegantia minuitur.

glor. 660 *cédo tris mi homines aurichalco contra cum istis moribus.*

Cedo tris habent CD, at Ba *Ceteris*, Bb *Cet . ris* cum rasura et litteris *Ce* punctis notatis. Quibus indiciis qui codices Plautinos adcuratius noverit, non dubito quin aliud significari intellegat quam simplex et usitatum *cedo*. Aut ego fallor aut Plautus, ut *merc.* 965 usus est forma *cette* pro *cedite*, ita hic quoque scripsit ***cettris***, ut duae voces ejecta littera *o* in unam coaluerint. Ejusmodi verborum coagmentationes apud Plautum multo latius patere quam volgo putatur, haud pauca sunt quae probare videantur.

glor. 669 *quid ad illas artis optassis, si optio eveniat tibi?*

Cum B prima manu habeat *attollas artes*, scribendum erit *ad* ***ollas*** *artis.*

glor. 794. **PA.** *át scies. set ecquae ancillast illi?* **PE.** *est prime cata.*

Hic unice verum est quod Scaliger invenit *adprime cata*; cf. trin. 373 **LY.** *scin tu illum quo genere gnatus sit?* **PH.** *scio adprime probo* et *rud.* III 4, 30 *fáteor, ego trifurcifer sum: tu's homo adprime probus.*

glor. 1135 sq.

> *nam quós videre me exoptabam maxime,*
> *una éxeuntis video hinc e proxumo.*

Recte labanti versui succurrisse Lindemannum cum scriberet *una exeuntis video hinc propere e proxumo,* ostendit C, qui cum habeat *hinc propximo, p* illud indicium vocis oblitteratae servavit.

merc. 80 sqq.

> *ego úbi ita visum meo patri esse intellego,*
> *atque ódio me esse quoi placere aequom fuit,*
> *améns amansque ut animum offirmo meum:*
> *dico ésse iturum me mercatum si velit.*

Importunum *ut* in versu tertio ut una cum hiatu intolerabili removeatur, conlato *aul.* II 7, 1 *volui ánimum tandem confirmare hodie meum,* scribendum esse videtur: *améns amansque* [**tandem**] *animum offirmo meum.* Paulo post v. 86 *et méa promissa non neglexit persequi* e scriptura codicis B *non ex leit* eliciendum est *non neglexeit*, cujus formae alterum exemplum ex codice B Fleckeisenus eruit ann. 1871 p. 809.

merc. 197 *véro video med ad saxa ferri saevis fluctibus.*

Merito Ritschelius iteratum *saevis* post *saevis tempestatibus* v. 155 sibi displicere significavit. Dubitari nequit quin Plautus scripserit ***salsis*** aeque ac *trin.* 820 sq. *sálipotenti multipotenti Iovis fratri aetherii Neptuno* | *láetus lubens laudes ago gratas gratisque habeo fluctibus salsis.*

merc. 308 *decide collum, si jam tibi falsum loquar.*

Ad quem versum cum Ritschelii adnotatio haec sit, 'SI\ANTISIFALSUM A, quas litterarum reliquias visus sum vel SIANTIBIFALSUM vel STANTISTFALSUM interpretari posse. Unde *si jam tibi falsum* effeci', Buechelerus n. mus. Rh. 15 p. 431 Plautum scripsisse conjecit: *decide collum statim si falsum loquar.* Et *statim* quidem paenultima producta ab antiquis dictum esse facile persuasit, sed Plauti manum ne ipse quidem adsecutus est. Immo Ambrosiani memoriae ipsa vestigia tenenda esse, docet Q. Cic. de pet. cons. 10, ubi de Catilina haec habes: *Quid ego nunc dicam petere eum consulatum qui hominem carissimum populo Romano, vitibus per totam urbem ceciderit, ad bustum egerit, ibi omni cruciatu lacerarit, vivo stanti collum gladio sua dextera secuerit,* unde sequitur Plautinum versum ita restituendum esse: *decide collum* ***stanti,*** *si falsum loquar.*

merc. 573 **EY.** *pervórse facies.* **D.** *quodne amem?* **LY.** *tanto minus.*

Lysimachus Demiphonti intempestivas adulescentulorum delicias exprobrans seni quaestione *quodne amem* se expurgare quasi conanti respondere nequit *tanto minus.* Adfirmare potius debet eo perversiorem ejus esse conatum mulieris osculandae et

quae reliqua in animo habet, quo minus seni decrepito amoris gaudia conveniant. Quo fit ut scribendum sit, non *tanto minus*, sed *tanto* ***magis,*** quod ipsum Guyeti acumen praecepit.

merc. 886 *né pave: restituam jam ego te in gaudia antiqua ocius.*

Ita scripsit Ritschelius; codicum apices (B *gaudi antiqu' ut sis,* CD *gaudiantiq' ut sis*) etiam diligentius rimanti non improbabile videbitur scribendum esse: *né pave, restituam jam ego te in* ***gaudium antiquom et vetus.*** Cf. *Most.* 476 *scelus inquam factumst jam diu antiquom et vetus*; *Bacch.* 711 *récta porta invadam extemplo in oppidum antiquom et vetus.*

merc. 950 *sic decet, sic fieri oportet.* **EUT.** *eho tu quin tu somnias.*

Hic quoque pro lectione Ritscheliana nescio an codices qui habent: *eloquenisomnias* B, *eloque ni somnias* D, *eloquere somnias* C melius exprimamus scribendo: *eho tu* ***loquere in somniis,*** cf. Lucret. 5, 1158 *multi per somnia saepe loquontur.*

Pseud. 251 sq. **BA.** *Juppitér te*

perdát quisquis és. **PS.** *te volo.* **BA.** *át vos ego ámbos.*

Ballio cum Calidorum et Pseudolum colloquium cupientes usque ad versum 265 reconstanter repudiet, non intellegitur quid verba *at vos ego ambos*, quae prorsus repugnant reliquis ejus dictis, sibi velint. Atqui cum simillimus locus exstet *Curc.* 687, ubi Therapontigonus lenonem ita compellat: *heus tu leno te volo* itemque Phaedronubi mus: *et ego te volo,* ad quae ille: *at ego vos nolo ambos,* dubitari nequit quin hic quoque scribendum sit: *at vos ego* ***nolo*** *ambos.* Quod si verum est, totum versum ita numeris astringere licet: *perdát* ***quisquis'.*** **PS.** *té volo* [**ego**]. **BA.** *at vós ego* [***nolo***] *ámbos.*

Pseud. 299 sq.

nimis miser sum: nummum nusquam reperire argenti queo.

ita miser et amore pereo et inopia argentaria.

Iteratum *miser* cum ferri nequeat, scribendum erit: *ita* ***bis ego et*** *amore* vel si males *bis et ego amore*, quoniam *bis et ab*] *amore* propter praepositionem altero membro omissam parum elegans est. Cf. *truc.* I 1, 25 *bis périt amator ab red atque animo simul.*

Pseud. 586 sq.

núnc ad oppidum hoc ego vetus continuo legiones meas

ádducam.

Injuria ab editoribus recentioribus formam antiquam ***obducam***, quam codices habent, repudiatam esse, ostendunt duo loci apud Ennium *ann.* 295 *ob Romam no-*

tu legiones ducere coepit et *tragg.* 11 *Hector qui haud cessat obsidionem oblucere.*

Pseud. 967 *heús, cum hirquina qui astas barba, responde hoc quod te rogo.*

Ita Ritschelius, cum B habeat *heus tu qui cum hirquin astas barba* (C *hirquina stas,* D *hir quinastas*) *responde quod rogo.* Sed quae est frequentia dictionis *heus tu* vel *heus vos* (veluti *Curc.* I 3, 29; III 1, 20; V 3, 8; *Pseud.* 1124; *Poen.* III 3, 95; V 5, 26 et 41; *rud.* I 2, 52; V 3, 13, 42; fortasse etiam III 5, 50 cum Guyeto *sed díco vobis, heus vos, num molestiast* pro eo quod codices habent *sed vobis dico,* quod ipsum Fleckeisenus ita tenet, ut *vos* in *vobis* mutet; *truc.* III 2, 14), non possum non Fleckeiseno adsentiri codicibus eam oblatam oblitterare verenti. Sed quod scribit *heús tu qui cum hirquina barba astas responde hoc quod rogo*, ultima vocis *astas* syllaba sub ictu posita, eos numeros effecit, quos ut pro Plautinis agnoscam, a me impetrare nequeo. Tollentur omnes difficultates, si voce *qui* omissa, *astas* pro participio accipietur, quae codicum scriptura quam frequens sit, hodie nemo ignorat, et scribetur: *heús tu, cum hirquina astas barba, responde hoc quod te rogo.* Ultima verba jam Ritschelius in adnotatione ita melius constitui intellexit, aeque atque invenitur v. 340 *dic mihi obsecro hercle verum serio hoc quod te rogo*, quo versu conlato etiam v. 1191 scribendum erit: *résponde obsecro hercle vero serio hoc quod te rogo.*

Pseud. 1239 sqq.

núnc mihi certumst alio pacto Pseudolo insidias dare,

quam in aliis comoediis fit, ubi cum stimulis aut flagris

insidiantur. ego jam inultus promam viginti minas,

quás promisi si effecisset: obviam ultro ei deferam.

Inultus v. 1241 quomodo accipiendum sit, difficile dictu est. Nec ‚ungerächt' nec ‚ungestraft' esse potest; unam notionem ‚ohne mich zu rächen' defendere liceat, quae tamen omni auctoritate caret. Neque omnino in proximis superioribus verbis de ultione, sed de insidiis, ridicule quidem, sermo est; ut Pseudolum ulciscatur Simonem nihil incitat, quippe qui dolum servo callidissimo bene cessisse ipse quoque laetetur. Quae cum ita sint, ducibus libris qui habent *at ego jam*, scribendum esse videtur: *át ego jam* ***intus*** *promam viginti minas*: cf. *Bacch.* 1050 *binós ducentos Philippos jam intus ecferam.*

Pers. 662 *fáciam ita ut te velle video. ut emas habe centum minis.*

Librorum cum haec scriptura adnotetur: *velle videā* BZ, *vellē videā* CDF, *ut emas habe trecentis minis* B, *ut emas habe trecentum minas* CDF, Ritschelius etsi

versum, qualem supra scripsi, in textu posuit, adsensu tamen dubitanti amplexus est Bothium scribentem: *fáciam ita ut te velle video. habe tibi centum minis.* Qui quod importunum *trecentis* mutavit, alios secutus est; in eiciendis vocibus *ut emas* Guyetum praeeuntem habet. Atque cum ineptas has voces esse quivis videat, quia nec delere licet, quae quomodo inrepserint dici nequit, et restat hiatus et denique codicum scriptura *videâ* aliud latere ostendit, Plautum scripsisse conicio: *fáciam ita ut te velle video.* **me ut ames,** *habe centum minis.* *Me ut ames*, quocum comparandum est *amabo te* et quae sunt similia. Germanice vertas ,um dir einen Gefallen zu thun', ,um dich mir zu verbinden'.

Pers. 700 **DO.** *quod ést tibi nomen?* **SA.** *nomen quor tu quaeritas?*

Ita hunc versum ut sententiae satisfieret, liberius conformavit Ritschelius, ex ipsis Ambrosiani reliquiis, quas idem ita descripsit: QUODESTTIBINOMENL · ? · · · QUODTOTIN — — eliciendum esse videtur: **DO.** *quod ést tibi nomen?* **SA.** ***hospes, quor nomen rogas?*** Voce *hospes* Sagaristio Dordalum etiam v. 604 adloquitur, cum dicit: *hospes, volo ego hanc percontari.*

rud. II 6, 24 sq. **CH.** *scelėstiorem cenam cenari tuam*
quam quáe Thyestae quondam antepositast et Tereo.

Fleckeisenus Reizium secutus scripsit omissa voce *quondam*: *quam quáe Thyestaest anteposita et Tereo.* Equidem scripserim: *quam quáe Thyestae quondam* ***adposita*** *et Tereost*, sicut Ritschelius opusc. II p. 599 *Men.* 212 pro voce *adposita* restituit *anteposita.* Atque idem *adposita* in rudentis loco jam voluisse Camerarium ex Reizii editione cognovi.

rud. II 7, 20 sq. **CH.** *eho, an te poenitet,*
in mari quod elavi, ne hic in terra iterum eluam.

Scribendum est: *in mari quod elavi, hic in* ***terrad*** *iterum* ***ni*** *eluam.*

rud. III 6, 3 sqq.
PL. *quin óccidisti extemplo.* **TR.** *gladius non erat.*
PH. *caperés aut fustem aut lapidem.* **TR.** *quid ego quasi canem*
hominem insectarer lapidibus nequissimum.

Ut et leniores numeri efficiantur et contraria magis efferantur, scribendum est: *aut fústem aut lapidem caperes.*

rud. V 3, 43
DAE. *tácen an non?* **GR.** *tu meam rem simulas agere. tibi mu* ***

Lacerum versum commode ita explebimus: *tibi* ***munis viam;*** cf. *glor.* 223 *intercludé inimicis omnis aditus, tibi muni viam,* qualem restitui Fleckeiseni ann. 1870 p. 61.

Stich. 478 *aliúm conviram quaerita tibi in hunc diem.*

Hic A *quaerito* habet, litteris *ta* supra scriptis, praeterea *tibi*, quam vocem ceteri codices omittunt, cum teneant *quaerito.* Unde adparet, hic exstare duarum recensionum vestigia, quarum altera habebat: *quaerita tibi*, altera *quaerito*, id est ***quaeritod*** *in hunc diem*, quod novum exemplum accedit imperativis in d exeuntibus, quos Ritschelius adtulit N. Pl. Exc. p. 102. Alterum exstat Ter. *Phorm.* 664. *nimiúmst. ne clamem,* ***petitod*** *hasce a me decem*, quoniam omnes codices praeeunte A *petito hasce habent*, quod Bentlejus mutavit in *illasce.*

Stich. 527 *sét eccum fratrem Pamphilippum incedit cum socero suo.*

Ut formam *Pamphilippum* Ambrosiani testimonio v. 393 damnatam removeret, Ritschelius scripsit: *sét eccum fratrem Pamphilum meum incedit cum socero suo.* Cui rationi ut praeferamus *sét eccum fratrem Pamphilum* ***una*** | *incedit cum socero suo* suadet alter locus, ubi idem nomen eodem adminiculo tollere licet v. 582 *séd videon' ego Pamphilum* ***una*** *cum fratre Epignomo? atque is est.* Tertium locum ejusdem nominis corruptela insignem v. 506 sq. duce Ritschelio ita restituere licet: *út mihi volup est, quia vos video, Pamphile, in patriam domum | béne gesta re rediisse ambos* ***et ted et*** *fratrem tuom*, ad quam conjecturam stabiliendam cf. v. 515 *cras apud me eritis et tu et ille cum vostris uxoribus* et *Most.* 364 **TR.** *Philolaches* **PH.** *quid est?* **TR.** *et ego et tu* **PH.** *quid et ego et tu?* **TR.** *periimus.*

trin. 788 sqq.

set epistulas quando obsignatas adferet,
non árbitraris tum adulescentem anuli
patérni signum norisse?

Hic cum libri habeant *arbitraris eum adulescentem* BCD, *nosse* BC, *nonẽe* D, Ritschelius Bothii invento *tum* recepto in altera editione adscripsit ,quo tamen vereor ut locus persanatus sit'. Nimirum prorsus negandum est, vel *tum* quod ad futurum tempus spectat, cum verbo *norisse* congruere, vel hoc ipsum quo status quidam perpetuus significatur, ad tempus, quo obsignatas epistulas adlatum iri Callicles indicat, adcommodare licere. Restat ut abjecto Bothiano *tum* primum teneamus *eum*, deinde id quod prima manus codicis D, priusquam mutaretur, habebat, *non ẽe*, hoc est *non esse.* Quibus indiciis usi facile intellegemus vitium loci positum esse in voce *adulescentem*, quae ad *eum* explicandum adscripta pepulit id verbum quo sententia, quae verbis *anuli paterni signum non esse* continetur, regebatur. Quod quale fuerit quamquam sola conjectura eruendum est, haud tamen nimis longe, ut opinor, a vero aberrabimus, si scribemus: *non arbitraris* ***eum intellecturum*** *anuli | patérni signi*

non esse? Unum est quod scrupulum iniciat, quod is qui adferet epistulas ab eo ad quem adferentur, qui voce *eum* significatur, parum distingui videri possit. Sed prorsus eodem modo v. 813 sq. *quidvis probari ei poterit. tum, quod maxumist, | adférre non se petere hinc dicet* hi duo juxta positi ad distinguendum audienti relinquuntur.

truc. I 2, 33

DIN. *sed tándem eloquere, quis is homost, Astaphium?* **AST.** *novos amator*
nimis ótiosum te arbitror hominem esse.

Astaphium cum satis adpareat Diniarchi curiositati minime cedere potiusque eam quam vehementissime repudiare, verba *novos amator*, quibus quaerenti respondet, ut continuo quaestionem tamquam molestam refutet, ei tribui nequeunt. Verum vidit Guyetus, qui v. 33 scripsit: **DIN.** *sed tandem eloquere, quis is homost. Astaphium* ***novosne*** *amator?*, ut Astaphii responsum a v. 34 initio demum ordiatur.

truc. II 2, 57 sq.

jám quidem hercle ibo ad forum atque haec facta narrabo seni,
néque istuc in se gestit ergo cogit examen mali.

Versum alterum, in cujus reliquiis tradendis consentit A cum Palatinis codicibus, Acidalius ita constituit: *néque ego istuc meo gestio tergo cogere examen mali* cum ruina quidem numerorum. Aliquid tamen eum recte vidisse videatur, duce eo conicio: ***námque is tuo ipse gestit*** *tergo cogere examen mali.* Stratullax seni meretricum flagitia indicare constituit, quem, cum jam pridem illis suscenseat, occasionem hanc eas ulciscendi libenter adrepturum esse, persuasum habeat. Prorsus similem rerum condicionem habemus apud Terentium, ubi in Eunucho v. 1000 invenitur: *nam jám diu* ***aliquam*** *causam quaerebat senex, | quam ob rem insigne aliquid faceret eis:* ***nunc repperit.***

truc. IV 3, 11 sq.

étiam nunc quid sit negoti, falsus incertusque sum,
nisi quia timeo tamen ego net quid peccavi scio.

Alterum versum totum Diniarcho tribuendum esse, pro certo habeo; emendari posse facillime ita videtur: *nisi quia* [***aliquid***] *timeo tamen ego* ***et*** *quid peccavi* ***scio.*** ***Tamen ego*** verbo postpositum iisdemque numeris conclusum habes capt. III 4, 55 ***scio*** *te id nolle fieri: efficiam tamen ego id si di* ***adjuvant.*** Ad verba *et quid peccavi* ***scio,*** de quibus dubitavit Kiesslingius, cf. Ter. *Phorm.* 218 *ego me novi et peccatum* ***meum*** et *glor.* 1325 *scio ego quid doleat mihi.*